

A 231
3

00. J.


Hist.
III C. 2.

f
6

RECTORE ACADEMIE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,
PRINCIPE HEREDITARIO
DVCATVS MECLENBURGICI,
PRINCIPE VANDALORVM, SVERINI, AC RACEBURGI,
COMITE SVERINENSI,
ROSTOCHII, ET STARGARDIAE TERRARVM
DOMINO,
PRINCIPE, AC DOMINO
NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO,
FESTVM PASCHALE
RESVRRECTIONI CHRISTI SACRVM,
MORE CONSVENTO INDICIT,
ILLEVDQVE
PIE, ET DEVOTA MENTE, CELEBRANDVM
CIVIBVS ACADEMICIS
EX RATIONE OFFICII,
GRAVITER COMMENDAT,
SIMVL ETIAM,
DE CONCLVSIONE,
A MORTVORVM RESVRRECTIONE
AD
RESVRRECTIONEM CHRISTI,

VALIDA. I COR. XV. 13. 16.
PAVCA COMMENTATVR
ACADEMIAE PRO-RECTOR
IOAN. HENRICVS BECKER,
S. S. THEOL. D. ET P. P. O.

ROSTOCHII,
TYPIS I. I., ADLERİ, SEREN, DVCIS AVL. & ACAD. TYPOG.



Natiuitas nostri sospitatoris, Ciues honoratissimi! sicut initium est magni operis redemptorii, passio et satisfactio medium; mors finis; ita illius, et effectae salutis nostrae obsignatio, resurrectio Christi est. Per hanc enim, *λύγον* pro nobis solutum, a DEO plene acceptatum, et infiniti valoris inuentum, hinc nostram cum DEO conciliationem complete peractam, et in sponsore desideratum nihil esse, certitudinem habemus inuestigam. Quare Apostolus, *Christum propter nostra quidem peccata mortuum, at proper nosram justitiam resuscitatum esse*, ait Rom. IV. 25. et Petrus, *I Ep. I. 3*, *DEVM nos regenerasse*, docet, *in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, etc.* Itaque totius euangelii complementum et sigillum, solatii item, gaudii, speique fidelium, fontem qui resurrectionem Christi adpellauerit, non sane errauerit. *Huic enim de-*

III

dogmati, veritatique maxime fundamentali, velut angulari lapidi, superstructa est ecclesiae N. T., ex omnibus terrae populis, per praedicationem apostolicam, vocatio, et collectio. Iesum enim Messiam, et saluatorem adnunciantes, fidemque in eum collocandam esse, docentes, apostoli ad vitam Christi, ad triumphum, ad gloriam, atque potestatem, qua cuncta gubernet, ecclesiae caput Eph. I. 22, & rex regum, cuius pedibus pater omnia subjecerit, Ps. VIII. 7sqq., omnium primo prouocarunt, Act. II. 24. 32 sqq. III. 21 V. 30 sqq. X. 40 sqq.; immo, Christum resuscitatum adnunciare, doctrinae initium fecerunt; siquidem, in mortuum quis fiduciam collabat, a mortuo quid exspectabit hominum illus? Eosdem gratiae praecones per orbem mittere, ecclesiamque N. T. inter gentes condere, nec ante exhibitum Messiam, nec statim sub eius in carnem aduentum, nec ante eius passionem, et mortem expiatoriam, sapientiae diuinae placuit: sed peractis iis, quae ad opus redemptorium spectabant, omnibus, post resurrectionem Christi, et ascensionem in coelos: tunc demum coepit vniuersalis euangelii praedicatio; qua DEVS leborah locutus est, et vocavit terram ab ortu solis usque ad eius occasum. Ps. L. 1. Abiens e mundo apostolis Christus dixit: Data est mihi omnis potestas in celo et terra; eunter ergo discipulos facite omnes gentes, Matth. XXIX. 19. Eousque etiam miraculosus Spiritus S. aduentus, extraordinariis testes Iesu donis replens, miracula patrandi etiam facultate eos instruens, sapienter dilatus est. Act. I. 8. Ioh. XV. 26. XVI. 7. conf. Io. VII. 38. 39, vbi misio Spiritus S. ad tempus glorificationis Christi refertur. Simulac autem Spiritus S. in apostolos effusus erat, hi statim verbi praeconio publice, et quavis occasione, vacare, hominesque ad Christum, ut resuscitatum, vocare incipiebant. Act. II. 4 sqq. 14 sqq. Cum tanti ponderis de resurrectione Christi veritas sit, et hic articulus cohæreat cum vniuersa doctrina coelesti, fulciatque omnem nostram fidem, et spem vitae aeternae: mirum nemini videbitur, eam pridem fuisse, et esse hodiernum, diabolo, eiusque sociis, sudem in oculo, esseque, in facto, tanta virulentia oppugnatam. Postquam sepulcri

Christi
A 2



Christi custodia et obsignatio publica, quae praenunciationem
 sospitatoris, de sua resurrectione tertio die euentura, eludere
 debebat, elusa ipsa esset, terrae concussione, ab omnipoten-
 tia DEI excitata, sigillum rumpente, & sepulcri ostio prouo-
 lutum ingentis molis lapidem violenter remouente, descen-
 dente simul de coelo angelo domini, in fulguris claritate adpa-
 rente, custodes terrente, immo quasi mortuos prosternente,
 et tandem in fugam pellente: mendaciorum pater exanimum
 corpus Christi a discipulis ejus suffuratum esse, etiam si illud
 nec vlo modo esset probabile, nec possibile, in vulgus spargi
 curabat. *Matth. XXVIII. 11 sqq.* Absurdam illam fabulam, fe-
 ria refutatione longe indignissimam, repetiere tamen subinde
 Christiani nominis hostes iurati, Christum resurrexisse, per-
 negantes, CELSVS, PORPHYRIVS, IVLIANVS, et
 eius farinae olim plures; recentius SPINOZA, et eius affe-
 clae; hodie ingens Deistarum caterua, e quibus WOOLSTO-
 NVM, COLLINVM, et EDELMANNVM ecquis igno-
 rat? Resurrectionem Christi, nescio quibus, mox in Euange-
 listas, mox in Christi discipulos, congestis calumniis, mis-
 fuisse commentis infestant, rident, detorquent. EDEL-
 MANNVS tamen a reliquis in hoc differt, quod, in terrae
 motu, supra memorato, corpus Christi terrae voragine absorbi-
 tum et aeternum sepultum esse, garriat: *der Leib Christi sey ver-
 schüttet, dass er nicht mehr zu finden gewesen!* vid. ejusdem *Glaubens-Bekändtnis*, p. 196. Sint DEO laudes immortales, quod
 resurrectionis Christi historia ab Euangelistis illo tenore iiisque
 circumstantiis, tradatur, quae mendacem et empaetam et-
 iam hunc mendacii statim possint conuincere. Corpus enim
 Christi qua ratione terra poterat obrui, verschüttet worden seyn?
 nec ipso sepulcro, nec spelunca, vbi latebat, laefis, et e terrae
 motu dilapsis? Atqui mulieres hanc intrabant illaesam, et cum
 discipulis illud inspiciebant, obseruantes, vbi jacuerit corpus
 Christi, videntesque linteau, cum sudario, conioluta, et ad latus se-
 pulcri posita. *Io. XX. 5 sqq.* Sed mault EDELMANNVS,
 historiam totam commentum esse, et fabulam; narrationem
 de sepulcri vigilum relatione, de mendacio sacerdotum, quasi
 corpus

corpus Christi clam fuerit subreptum, nec prudentiae sacerdotum et synedrii, nec vigilantiae et dexteritati Pilati responderet, praetexens. Hinc ait: *es seyn verlogene Pfaffen gewesen, die auf Conto der Euangelisten, lange nach ihrem Tode, der abergläubischen Welt so was fürgelogen; porro: die Auferstehung Jesu nach dem Fleisch sey ganz und gar nicht nöthig, und bleibe eine ewige Lüge!*
l. c. p. 199.

Verum, mihi iam non constitutum est, illa absurdum confutare, et veritatem resurrectionis Christi a calumniis hostium, siue antiquorum siue recentiorum, vindicare. Praestiterunt illud dudum, et hodenum, alii viri longe doctissimi, satis solide, et in tanta copia, ut maior omnino sit scriptorum, resurrectionem Christi demonstrantium, quam, eam impugnantium, seges. Adeo veritati diabolus non nocuit, vt potius, illam magis confirmandi, et in tuto collocandi, occasionem, vel inuitus, subministraverit. SPINOZAE virus eneruauit DN. FRID. ERNEST. MEISS, *de resurrectione Christi contra Spinozam*, Schleusingae 1711. Item D. E.S. FRIDER. WEISSENBORN, *de negatione resurrectionis Christi detestanda*, Jen. 1735. WOOLSTONVM, et SPINOZA M capistravit S. R. D. SALOMON DEYLINGIVS, *in tr. Veritas resurrectionis Christi aduersus Spinozam et Woolstonum adserta*, Reperitur in *Obseru. ejus Miscell. T. III. P. II. Obs. 17.* Legi etiam contra WOOLSTONVM meretur THOMAE SHERLOCKII, *Arch. episcopi Cantabrigiensis*, libellus in nostram vernaculam a DN. M. IOH. ADAM SCHIER translatus; *Gerichtliches Verhör der Zeugen der Auferstehung Iesu*. EDELMANNI de resurrectione Christi calumnias confutavit S. R. DN. IOH. CHRISTOPH. HARENBERG, *in der gerechten Religion, oder Widerlegung des Glaubens-Bekanntnisses Joh. Christ. Edelmanns.* T. II. *Sendschreiben XLII.* Omitto plures.

Nos, C. H., diuinam, de gloriofa, nobisque adeo salutari, resurrectione Christi, veritatem, infallibili diuino eloquio, tam propheticō, quam historico-euangelico, nixam, et



vel rigorissimum rationis examen sustinentem, firmiter credimus, et candide profitemur. Character Euangelistarum et Apostolorum, quem contra Deistas, et infideles iustissime urgunt nostrates, et, qui talis est, ut illi in suspicionem falsi nulla vñquam ratione possint adduci, resurrectionis Christi veritatem in tuto collocat. Paulus Apostolus, et nominis, et doctrinae, et resurrectionis Christi, antea aduersarius calidissimus, coelitus tamen ab ipso Christo, illi apparente, tractus (hinc testis talis, contra quem nihil potest excipi, demonstrante D N. LYTTLETON in tr. a DN. LEMKERO germanice verso: die Bekehrung, und das Apostel-Amt Pauli, ein Beweis der Wahrheit der christlichen Religion) hoc fidei dogma tradens et confirmans, ipse fatetur: se, et reliquos Christi testes falsos inuentum iri, si testentur de DEO, quod resuscitauerit Christum, quem non resuscitasset, 1 Cor. XV, 11. Nos proinde etiam in resurrectione Christi totum reponimus fundamentum futurae aliquando beatae nostri corporis ad vitam aeternam resurrectionis. Hanc idem Apostolus, excitato Cap. XV. 1 ad Cor. docet, atque confirmat, illatione directa, qua, resurrectionem fidelium illius fructum et consequens esse, intelligitur: Illam autem, vti videri posset, illatione indirecta, nempe a resurrectione fidelium desumpta. Ita enim ait v. 13, Quod si resurrectione mortuorum non est; neque Christus resuscitatus est! et v. 16, si mortui non resurgent, neque Christus resuscitatus est! Incongrua nimur alicui videri posset haec apostoli argumentatio, qua, a resurrectionis nostrae affirmatione, vel negatione, concludit ad resurrectionis Christi affirmationem, vel negationem; rectiusque videretur, concludere postea, a Christi resurrectione ad nostram. Resurrectio enim fidelium aut adstruitur, aut destruitur ex affirmatione, vel negatione resurrectionis Christi; quia haec illius, non illa huius, fundamentum existit; siquidem Christus est causa promerens nostrae resurrectionis: Vnde a causa ad causatum recte argumentum instituitur. Id ergo paucis hac vice agam, vt illius illationis apostolicae, a resurrectione nostra, ad resurrectionem Christi factae, rationem et nexus declarem, atque exponam.

Prae-

Praenoto, consentire interpretes in hoc omnes, quod, illo apostoli tempore, inter neoconuersos Corinthios vixerint tum, qui errores disseminarint, tum, qui illis essent infecti, aut certe aures praebuerint, praeclipe etiam in doctrina de resurrectione mortuorum vniuersali, sub seculi consummationem futura. Non sine causa lenim huius Cap. XV. initium apostolus facit sonica repetitione praecipuorum fidei Christianae articulorum; ad quos de Christi resurrectione veritatem non modo exserte refert, sed etiam doctrinam de fidelium futura resurrectione, toto hoc capite, ex instituto, et plenus pertractandi, occasionem ex illa desumit. Imo, commate 12 terse, et quasi mirabundus, quod inter rectius edocitos tamen non defint, qui errori, de non futura resurrectione, aures praebuerint, ait; si Christus praedicatur (recipit se ad doctrinam euangelicam, qua ipsos imbuerait, et quam modo repetierat v. 4.) quod ex moruis resuscitatus sit, "quomodo dicunt quidam inter vos, quod resurrectionis mortuorum non sit? GROTIUS commentatur, quod sit τὸν αὐτῶν ἀδόναταν, ἐν οὐρανοῖς εἰδεχόμενα. At vero, quinam illi fuerint, hunc errorem profitentes, et spargentes? de hoc apud interpretes non aequa constat. LOCKIUM h. I. Hymenaeum et Philetum, quibus Paulus succenset, 2 Tim. II. 17. 18. erroris patronos coniiceret, refert b. DN. I. C. WOLFIUS, in Curis etc. ad h. I. Basiliadem, Marcionem, Gnosticos, et quosdam eius aevi Philosophos, hunc errorum propugnasse, e patribus probat SVICERVS, Thesauro Eccles. T. I. p. 319. Quosdam conuersorum Corinthiorum e scholis Epicureorum et Stoicorum hunc errorum adoptasse, et, quia cum ratione sua doctrinam de resurrectione vniuersali conciliare non potuerint, souisse; alios etiam a Sadduceis, siquidem ecclesia e Iudeis et conuersis Gentilibus constiterit, errorem haurire potuisse, non sine probabilitate coniicit S. Ven. DN. a MOSHELM, in der Erklaerung des ersten Briefes Pauli an die Gemeine zu Corinthus, ad h. I. p. 909. Duplex autem viguit tum temporis error; alter: mortuorum resurrectionem non dari, tanquam rationi dissonam; alter: si quae in scriptura doceatur, esse allegoricam, et denotare transfiguratum



situm ab ethnicismo ad Christianismum, ideoque iam factam
 esse, non demum expectandam. 2 Tim. II. 18. Horum erro-
 rum vtrum apostolus h. I. potissimum respiciat? non satis li-
 quet. Dominans quidem in ecclesia Corinthiaca non videtur
 tuisse, repens tamen cum non mediocri plurium periculo,
 Quosdam ergo dicentes; resurrectionem esse nihil, redarguit apo-
 stolus, et errore nondum captos contra eum munit, ostensi-
 eiusdem in ipsam fidem eiusque fundamentum, non contem-
 nendo influxu. Ulterius, apud plurimos interpretes con-
 testatum est, apostolum, v. 13 et 16, disputandi causa, κατ' αὐθεωπον
 adsumere falfam hypothelin, et ex illa, quid mali sequatur?
 ostendere; ita ergo inferre: Quid si resurrectio mortuorum non est,
 neque Christus resuscitatus est; idque repetere v. 16: quasi dicat:
 si non datur, si impossibilis, si repugnans est, resurrectio mortuorum;
 sequitur, neque impossibilem esse resurrectionem Christi, quam tamen
 vobis adnunciam, et in vestra ad Christum conuersione, fundamenti
 loco posui. Falsum, ergo docui, DE I testis malae fidei sim, oportebit!
 Quare hi interpretes, apostolum conclusione vti contendunt
 ab uniuersali ad particulare. WOLFG. MVSCVLVS hocce
 pluribus enunciat, in Comment. in ambas epist. Pauli ad Corinth.
 edit. Basil. 1600. p. 256. ad h. I. GROTIUS ad h. I. ita com-
 mentatur: Sublato genere, tollitur species; est argumentum, ut Scho-
 lae dicunt, in Ferio, ideo adductum, vt connicta falsitatis illatione et
 assumptione manifesta, nempe; Christum fuisse mortuum: perimatur pro-
 positio: nullum mortuum resurgere. B. D. N. D. I. C. SCHOME-
 RVS, in Exegeſi ad epist. Pauli, ad h. I. paucis his mentem ex;
 ponit; primum producit apostolus resurrectionem Christi, vt exemplum,
 quo probat, aliquam dari; deinde, vt causam resurrectionis nostrae,
 v. 21. IAC. GVSSETIUS, in Vesperis Groeningianis, Colloq.
 V. p. 60. Paulus Apostolus, ait, Christi resurrectionem probat ex
 absurdis, quae sequuntur illius resurrectionis negationem! Vir doctissi-
 mus ostendit, illationem Pauli, v. 13, 14, talem esse, vt ar-
 gumenti consequentiam facile concederent Iudei, Pagani, at-
 que Athei (hodie etiam Deistae, aut, se in nihilum verti, et
 omnino esse desinere, fibi persuadentes; aut, cum EDEL-
 MANNO, tum resurrectionem, tum boni maliae retribu-
 tie.



tionem, in continua animarum transmigratione seu metempsychoſi ponentes:) hinc, esse ad hominem formatam, et pertinere validissime ad Corinthios, Christi resurrectionem credentes, resurrectionem tamen mortuorum negantes. Idem sentit D. IOACH. LANGIVS, *im Apostolischen Licht und Recht, ad b. l.* Vereor autem, vt in Christum, eumque resuscitatum, vera cordis fide crediderint, qui cum mentis persuasione negarunt mortuorum resurrectionem. Apostolus certe sermonem, et hanc suam illationem, non tam ad illos, quos reuera iste error corruperat, dirigere videtur, quam potius ad hos, qui cum talibus versabantur, infirmiores praefertim, de quibus, ne eodem errore inficerentur, metuendum erat. Ait enim: *quomodo dicunt quidam inter vos, resurrectionem mortuorum esse nihil?* seque recipit ad faniorem, quam ipsis omnibus ab initio tradiderit, quam amplexi quoque essent, immo, *in qua etiam perflarent, doctrinam v. i.* S. V. D. N. a MOSHEIM omnium disertissime hanc apostoli argumentationem tractat. Duidit, *l. c. p. 339.* demonstrationem apostolicam in binas partes, quod nempe apostolus *primo assumat quasi errorrem inter Corinthios gliscentem, indeque, quanta absurdia sequantur? ostendat; deinde autem argumentum inuertat, adsumendo, Christum, quod antea probauerat, vere resurrexisse, indeque demonstret, resurrectionem mortuorum fideliūm, a v. 20-28.* De vtroque demonstrationis modo afferit: *er sey recht künft- und regelmäsig.* Falsas ex adsumpta falsa theſi (*non dari resurrectionem mortuorum*) consequentias ab apostolo formari 1) *si non datur resurrectio mortuorum, vera etiam non est resurrectio Christi,* 2) *si vero Christus non resurrexit, vana est, et falsa, nostra praedicatio.* v. 14 (*explicatio huius consequentiae est v. 15. 16.*) 3) *ergo etiam fides vestra, scilicet in Christum salvatorem et resuscitatum, vana, et falsa est, vosque ergo adduc estis in peccatis vestris, et qui in Christo obdormierunt, perierte, v. 17-18.* 4) *Ergo vos conuerſi, in Christum, in hac vita tantum, sperantes, effectis miseriores omnibus hominibus,* v. 19. Haec ultima verba laudatus D. N. a MOSHEIM in hunc sensum exponit: *quod, cum huius seculi homines, resurrectionem ad meliorem vitam*

B

nec



nec credentes , nec sperantes , in hac vita genio indulgeant ,
cupiditates suas expleant , et seculi bonis , pro omni sua opti-
one , fruantur ; Christianis ab iis omnibus sit abstinentum , et
caro mortificanda . Hos iam , si aequē , ac illi , nullam , ad
meliorem vitam , resurrectionem crederent , aut sperarent ; va-
na doctrina , falsa fide , deceptos , sub reatu peccati manentes
(redemptione non perfecta , nec Christo resuscitato) hinc nec
quoad animam , nec quoad corpus , futurae alicuius beatitudi-
nis participes , illis fore longe deterioris conditionis : siquidem
etiam huius vitae deliciis , quibus alias frui potuissent , effent
priuati . Adderem ego odia et persecutio[n]es , propter Chri-
stum et eius doctrinam , ferenda ; quae sane in hac vita remu-
nerationem non inueniebant , in primitiuā ecclesia autem confes-
sores Christi ad mortem comitabantur , immo ipsam , crue-
tamque ipsis mortem conciliabant . Reliqua apud MOSHEI-
M1VM plenius persecuta legantur , et comparetur die freye Ve-
rsersetzung , quam suae exegeſi subnexuit ibidem . p . 961 sqq .

Ea , quae haētenuis recensui , quamuis bene se habeant , et
fensus argumenti apostolici : si mortui non resurgunt , neque Chri-
stus resuscitatus est ! commodum tradant ; tamen rem nondum
exhaustire , et scopo apostoli facere satis mihi videntur . Iis
certo non adſtipulor , qui argumenti apostolici , v . 13. et 16.
alium nec vsum , nec vim agnoscunt , quam , vt resurrectionis
Christi ponat in exemplum possibilatis resurrectionis in
genere . Hanc enim qui fieri non posse putaret , ad resurre-
ctionem Christi frustra ablegaretur ; tum , quod periculum ef-
set , ne et hanc , in specie , negaret , negata ea in genere , Aet .
XVII . 32. XXVI . 8 ; tum , quod non satis tuta illi videri posset
conclusio a particulari ad vniuersale . Qui enim Christum ,
Deū filium esse , concederet quidem ; sed vniuersalem homi-
num resurrectionem non admitteret , concederet forte etiam ,
salua sua theſi , singulare quid , at nudis hominibus non spe-
randum , Christo contigisse : Obuerteret quoque hoc praeci-
pue , Christum quidem resurrexisse ; at , ab eius resurrectione ,
non deſtructo , putrefacto , et in cineres diſſoluto corpore , cui
anima

anima solum fuerit reddenda, non valere consequentiam ad
 instauranda omnium hominum corpora, in sepulcris putrefacta,
 in cineres versa, non modo plane destructa, verum etiam
 in aliorum hominum animantiumque, per commestionem
 vegetabilium, e dissolutorum corporum partibus, salibusque
 prognatorum, substantiam iterum versa. Rem ergo esse inter
 Christum, et alios homines, longe dissimillimam. Nodus enim,
 rationi nimis perplexus, quem solui cupit, is est: 1. Corporum
 solutorum particulae, siue per aerem, siue in terra dis-
 persae, continuo motu in mundo rotantur, 2. Ab aliis corpo-
 ribus viuis et animantibus, tum per aerem, tum per terrae
 fruges comestas, hauriuntur, 3. Corpora sic ex corporibus
 primitivis nutriuntur, et ex parte constituantur, 4. Hinc solu-
 torum corporum humanorum partes in plura corpora humana
 successive ingrediuntur, et ad plurium constitutionem faciunt,
 5. Ergo non manent alicuius solius corporis propriae, sed mul-
 tis erunt communes. 6. Ergo nec sufficientes nec aptae, ut
 omnium eidem corpori instaurando, deputentur; quia plurium
 propriae successiue fuerunt. Relinquitur ergo, eadem numero
 corpora omnia resurgere non posse. Hic iam olim fuit, ethodienum
 est apud illos, qui ratiocinationibus omnia expedire, nec aliud,
 quam quod ratione concipiunt, credere volunt, dubiorum,
 contra resurrectionem obiectorum, quasi neruus. Quem an
 inciderit, nodumque soluerit S. R. Dn. Abbas SCHVBERTVS?
 scripto, quo statutum aliquod laboris pretium aliquando ad-
 eptus est, et quod extat sub tit. *Preidt von der Auferstehung der
 Todten.* lenae 1741, aliis existimandum relinquo. Ad binas
 eius hypothefes praecipias, quibus statuit 1) Omnicium DEVUM
 mortem cuiusque in illo temporis articulo decreuisse, quo ho-
 minem praeuiderit, in suo corpore nihil habiturum esse, quod
 aliorum sit, aut fuerit, hominum aut animantium! Zu solcher
 Zeit, in welcher sein Leib nicht den geringsten Theil von einem vor-
 mal beselten Cörper insich haben wird, 2) corpus non nisi in,
 et cum illa duntaxat, qua mortis tempore confitit, materia,
 resurrectur esse: *Der Leib, oder die Materie nur soll auferste-
 hen, welche die Seele, in der Stunde des Todes, verlassen hat!* Ad
 has



has inquam duas hypotheses tota res reddit. Quarum priori casus posset opponi duorum exercituum conflictantium, centum mille circiter hominum, in iuuentutis flore maximam partem constitutorum, quorom triginta millia occiderentur utrumque. Quaestio nasceretur: an illa probabilitate credi queat, hos omnes, illo temporis articulo mori, quo, vegeti quidem et saginati, aliorum tamen, quae olim vixerunt, animalium corporum nullam amplius contineant particulam? Dubito! Posteriori obuersti posset: illa ratione, mortuos diuturno morbo emaciatos, marasmo confectos, phticos, e.g. ita aridos, ut ossibus, et cute sola subsistant, miserrima illa tristis aridaque figura resurrecturos, et inter reliquos, velut spectra et spectacula, apparituros esse. Non ergo hanc, ad illud, de quo supra diximus, dubium euitandum, aut tollendum, viam atque methodum esse, mihi persuaserim. Putauerim etiam, de identitate resuscitandi corporis veritatem, quae non nisi generaliter in Scriptura, et a Theologis, doceatur, non ad apices particularum, de quibus, quae, et quando ipsius corporis constitutiae, an essentiales, anne temporariae, et accidentales sint, quis arbitrabitur? (cum et ipsis in sepulcro cadaveribus capilli, crines, et vngues adhuc crescant) curiosius extendi debere. Alias vereor, ne inter reuelationem, et rationem lites formentur, nulla humana perspicacia dirimenda. Sufficiat, redditum cuique iri suum, non essentialiter aliud, vel peregrinum, corpus; sed tale, quod quisque pro suo et eodem, quo in terris vixit, fine dubio recognoscet. Ulterius scrutari vanum est, supra vires, et cognoscendi principia; hinc, contra immensem Numinis et potentiam et sapientiam, temerarium.

A diuerticulo in viam redeo! Non puto, integrum apostoli, in sua argumentatione, v. 13. et 16, mentem absolui, instituta praecise illatione ab uniuersali ad particulare; ut solum demonstret per resurrectionem Christi, quam praedicauerat, absurditatem negationis alicuius resurrectiones in genere. Ipse enim nexus deriuatarum ex hac negatione consequentiarum, religionis essentialia euertentium, non obscure indicat, apostolum

lum non tam ut nudum disputatorem, quam potius ut ecclesiae
 doctorem, agere, et salutarem doctrinam exponere vberius.
 Quare, neutiquam reiectis negatisque, quae ad rem faciunt, re-
 liquis, enucleationi argumenti apostolici v. 13. id vnum, quod
 subintellexisse interpres reor, addi debere, existimo: apo-
 stolum nempe v. 13. id praecipue innuere, quod resurrectio Chri-
 sti et fidelium (de horum autem sola , non de impiorum ad ju-
 dicium resurrectione, in toto hoc capite sermonem esse, conte-
 statum est) correlata sint, sic , ut altera sine altera nec stare, nec intel-
 ligi, nec credi queat, tamque arte cohaerant, ut non posset non admittere
 vel negare unam , admissa vel negata altera . Posito enim correla-
 torum uno, ponitur alterum ; negato uno, negatur alterum.
 Rectissime in hunc finem apostolus ait : Si non datur resurrectio
 fidelium, non datur, non credi potest, nullius usus, et fructus est,
 resurrectio Christi ! Sicutex altera parte : Si non datur resurrectio
 Christi, non etiam datur resurrectio fidelium ad vitam aeternam, credi
 illa , et adstrui nequit, fundamento caret, non potest sperari.
 Quare apostolicae illationis neruum et scopum non tam in con-
 clusione ab uniuersali ad particulare , sed, in conclusione a correlatorum
 uno ad correlatorum alterum , ponerem. Qui doctrinam saluta-
 rem, quod per solam Christi resurrectionem parta nobis sit be-
 ata resurrectio, diuina fide credit, ille, quin resurrexit Christus,
 dubitare nequit. Dubitans enim de causa, non posset non
 dubitare etiam de causato. Vicissim , qui diuina fide credit
 Christum resurrexisse , simpliciter etiam credere debet beatam
 resurrectionem fidelium, in quorum gratiam Christus resurre-
 xit. Io. XIV. 19. I Cor. XV. 22. 23. 26. 55. Röm. V. 12. Du-
 bitans enim de causato, quatenus causae causatum est, non
 potest non dubitare etiam de causa ipsa. Christus mortuus non
 est, nisi propter nos, et pro nobis; non resurrexit, nisi propter
 nos, propter nostram iustitiam, et vitam. Totus noster est;
 non sibi sed nobis meruit, missus in carnem, traditus in mor-
 tem . resuscitatus ex morte. Act. III. 26. Sicut enim, ut nobis
 similis et noster Goel esset , pro nobis pateretur et moreretur ,
 carnem humanam adsumsit; ita quoque post mortem car-
 nem retinuit, et e sepulcro gloriose eduxit, ut dux vitae, et



dormientium fidelium primitiae esset, nostram carnem bearet, et ad similem gloriam eucheret, 1 Cor. XV. 49. Phil. III. 21. Poterat ne secus, absoluto satisfactionis opere, carnem adsumtam deponere, viuus tamen quoad animam humanam? Num, vt animae nostrae aeternâ per ipsum vita fruerentur, opus erat resurrectione, id est: corporis vita noua, et gloriofa? In carne autem rediuuium se demonstrauit; carnem voluit aeternum retinere, Cui alii fini, et quo alio documento, quam quod et nostra corpora resuscitare, in partem gloriofae suae vitae admittere, et, ex vtraque parte essentiali homo manens, in gloriofa vita nobiscum, pariter ex parte essentiali vtraque hominibus, suauissime, et visibiliter, conuersari vellet? Quem quaeſo in finem solus Christus, in aeterno coelorum regno et gaudio, corpus gestaret, praefente nulla creatura corporea, fidelibusque suis fratribus corpore destitutis, et sola anima cum ipso viuentibus? Itaque, facta sui corporis restauratione gloriofa, signum dedit indubitatum, corpora etiam suorum fidelium restauratum iri; et resurrectionem illorum scopum et fructum esse suae resurrectionis. 1 Thess. IV. 14. Rom. IX. 11. Confirmatur, et declaratur hoc vberius ex illis Scripturae locis, quae docent, Christum, et fideles eius electos, esse unum mysticum. Eph. V. 21. 30. Col. I. 18. 1 Cor. VI. 17. Mysticum hoc totale nec solo Christo, nec solis fidelibus, constitutur, sed vtrisque; ita, vt Christus caput sit, fideles membra; Caput, num fine membris, membra corporis viui, num fine capite esse possunt? Adeo vnum sunt totale mysticum: Christus, et fideles; vt electorum fidelium ne vnuſ desiderari in corpore mystico queat, nisi mancum illud debeat reputari. Atqui collectus fidelium numerus, quae est ecclesia, sub capite Christo, corpus eius spirituale, ita subsistit, vt Spiritus S. ecclesiam dignetur appellare: plenitudinem Christi, plenitudinem eius, qui omnia in omnibus implet, Eph. I. 23. Miratus saepe sum, Celeb. Dn. D. H E V M A N N V M, in sua N. T. versione, excelsam hanc et summe honorificam ecclesiae adpellationem neglexisse, et verba fontis ita reddere maluisse: welche sein Leib ist, und die völige Wohnung dessen, der alles an allen Orthen erfüllt! Aliud est, Christum inha.

❀ ❀ ❀

inhabitare fideles; quae tamen veritas hoc loco, et per vocem πληρα non docetur; aliud, Christum mystici sui corporis, cuius ipse caput est, plenitudinem non habere, nisi per fideles electos omnes, velut totidem membra, quorum, si vel unicum, quod tamen fieri non potest, ex numero omnium deficeret, corpus ipsum spirituale totalitatem, perfectionem, plenitudinem, amitteret. Vid. Io. VI. 39. Abstineo a pluribus, quemuis solationum thesauri vberissimi e sola hac honorificientissima denominatione possint deponi.

Id ergo ex haecenus dictis conficitur, quod, quemadmodum caput et membra sunt correlata, non diuellenda; ita etiam correlata sunt Christus et fideles, Christi item resurrectio et fidelium resurrectio; nec a resurrectione fideliū, ceu membrorum, ad resurrectionem Christi, tanquam capitī, minus tuto, valide, et euidenter, quam, a resurrectione Christi, capitī, ad resurrectionem fidelium, eius membrorum, concludatur. Patet, vnam ex altera cognosci, sequi, et probari. Et horsum puto abire mentem et scopum apostoli, loco citato, v. 13. dicentis: *Si mortui (fideles) non resurgent, neque resuscitatus est Christus!* Idem vtriusque resurrectionis vinculum, et, quod, qui vnam credit, aut neget, etiam debeat alteram, aut credere, aut negare, fatetur B. D. IO. FRANCISCVS BVDDEVS, in *Meditatione paschali, originem doctrinae de resurrectione mortuorum vindicante*, quae habetur in eiusdem *Meditationibus Sacris*, Num. VII. p. 102. Saepius laudatus Theologus, DN, a MOSHEIM l. c. p. 939. digitum ad idem hoc intendit, prouocans ad similitudinem fidelium cum Christo, quam Scriptura S. saepius doceat, Der Apostel meldet nicht, ait, was für eine Verbindung zwischen der Auferstehung der Gläubigen, und der Auferstehung Christi, sey? Es ist nicht schwer, die Meinung des Apostels einzusehen. Die Gläubigen werden in allen Stücken ihrem Haupte IESU Christo ähnlich: sie leyden mit ihm, sie sterben mit ihm, sie stehen mit ihm auf, sie werden mit ihm in den Himmel versetzt. Was also Christo wiederauf, das wiederauf auch seinen Heiligen; und was diesen nicht wiederauf wird, dürfen wir auch bey Christo nicht suchen,



chen. Egregia haec! quamuis non sine omni restrictione sumenda; vltius autem Vir summus non pergit. Ad consequentias ex unitate mystica, et relatione Christi, et fidelium inter se, qua ille caput est, hi eius membra sunt, hoc loco magis adtendit, et argumentum apostoli inde exponit M A T THAEVS POOLE, Theologus Anglus, in *Annotationibus in uniuersa biblia*, anglice scriptis, ad b. l. Et ERASMVS ROT. in *Paraphr. ad N. T.* ad b. l. Quorsum enim, scribit, adtinebat, ducem, et caput nostrum resurgere, nisi, ut praeius membrorum suorum resurrectionem, adpareret, viamque nobis omnibus aperiret. Sufficient haec!

Nil supereft, Ciues Honoratissimi! quam, vt Vos exhorter, vt triumphantem vitae ducem, e sepulcro, ad perennem vitam et gloriam, prodeuntem, fide laetabundi, et, eidem, pro partiis Vobis tot beneficis, grata mente obstricti, amplectamini, victoriā eius canatis, in spiritu exsultetis, et, de Vestra cum D E O, per ipsum facta, conciliatione certi, Vos totos ipsi tradatis. Viuite illius in honorem et obsequium, qui, vt aeternum viueretis, mortem deuicit, et in lucem produxit vitam et incorruptionem. 2 Timoth. I. 10. Ita fiet, vt, die glorioſissimi sui aduentus, vestra etiam, sua voce, corpora e sepulcris fuscitauerit, Vosque suae victoriae, vitaque in coelis glorioſae fecerit participes. Caput enim trahet post se membra, et Christus vult, vt, ubi ipſe eſt, et illi ſint, quos ei pater dedit. Ioh. XVII. 24.

P. P.

SVB SIGILLO ACADEMIAE

FER. I. PASCHALI. AO. MDCLII.



64199

AB 64-199



TA -> 2C

TD 17



ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
 O PRINCIPE AC DOMINO,
FRIDERICO,
 IPE HEREDITARIO
 S MECLENBURGICI,
 ORVM, SVERINI, AC RACEBURGI,
 ITE SVERINENSI,
 T STARGARDIAE TERRARVM
 DOMINO,
 IPE, AC DOMINO
 NGE CLEMENTISSIMO.
 VVM PASCHALE
 TIONI CHRISTI SACRVM,
 ONSVETO INDICIT,
 ILLVDQVE
 VOTA MENTE, CELEBRANDVM
S A C A D E M I C I S
 RATIONE OFFICII,
 ER COMMENDAT,
 SIMVL ETIAM,
 CONCLUSIONE,
 RVM RESVRRECTIONE
 AD
TIONEM CHRISTI,
 A. I COR. XV. 13. 16.
 CA COMMENTATVR
 IAE PRO-RECTOR
 ENRICVS BECKER,
 THEOL. D. ET P. P. O.
 ROSTOCHII,
 SEREN. DVCIS AVL. & ACAD. TYPOG.